



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sponsalia Et Matrimonium**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Ingolstadii, 1726**

Titulus VIII. De Conjugio Leprosorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75229)





## PARS III.

*De Impedimentis Matrimonij, quæ ipsas contrahentium Personas, harumque qualitatem, ac statum respiciunt.*

**S**equuntur Impedimenta, quæ contrahentium personas, qualitatem, ac statum respiciunt: qualia sunt 1. morbus contagiosus alterutrius. 2. Conditio servilis. 3. Cognatio Spiritualis, vel

Legalis. 4. Consanguinitas, & Affinitas. 5. Impotentia. De his ergo in hac tertia Parte agetur. Addetur pro Impedimentorum clausula Titulus, *De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesie.*

## TITULUS VIII.

*De Conjugio Leprosorum.*

### S U M M A R I U M.

1. An per Leporam supervenientem solvantur Sponsalia de futuro prius contracta?
2. Quid dicendum, quando Lepora Sponsalium contractum præcessit?
3. Quid, si Sponsa, vel Sponsus labore alio contagioso morbo?
4. Vel si Sponsalia sint jurata?
5. An per Leporam dirimatur Matrimonium?
6. Certum est, non dirimi consummatum.
7. De rato rationes dubitandi.
8. Deciditur nec istud dirimi.
9. Quamvis Lepora superveniens justam causam præbeat id dissolvendi per Apostolicam Dispensationem.
10. Intellectus can. quod proposuisti 18. caul. 32. q. 7.
- 11, 12. An propter Leporam supervenientem conjux sanus à Leproso divertere saltem quoad iborum, & cobabitationem possit?
- 13, 14. Solvitur difficultas ope distinctionis.
15. Intellectus textus oppositi ex Math. 5. v. 32. & 19. v. 9.
- 16, 17, 18. An conjux non Leprosus Leproso conjugi cobabitare, & debetum illi reddere etiam cum periculo infectionis possit?
- 19, 20, 21. An teneatur illud reddere, si non imminet periculum infectionis reddenti, sed proli inde nascitur?
- 22, 23, 24. An à debito reddendo excuset horror naturaliter consurgens, nullo existente periculo infectionis?
- 25, 26, 27. A quo facilis excusetur conjux sanus ob alterius lepram, vel similem morbum, an à redditione debiti, an à cobabitatione, & alijs obsequiis conjugibus?
- 28, 29. An ob periculum infectionis & horrorem naturalem excusetur conjux non leprosus, qui cum leproso scienter contraxit?

**C**onjugiorum Impedimentis merito accenseri aliquo modo etiam Lepora potest; cum enim Leprosi à Civitatibus, & hominum consortio passim arceantur, mirum non est, si Lepora etiam obstet conjugio, quippe quod multò arctiorem vitæ Societatem post se trahit. Quare hic videndum, an, & qua ratione impediatur Sponsalia, vel Matrimonium sive contrahendum, sive contractum.

Quæritur 1. An per Leporam supervenientem dissolvantur Sponsalia de futuro, prius contracta? 2. affirmativè, non qui-

dem ipso Jure, sed si alter Sponsus, qui immunis est à Lepora, id petat; quia si nolit iste dissolvi Sponsalia, sed stare iisdem velit, est sciatur alterum Sponsum leprosum esse, iste obligabitur Sponsalibus. Barbof. in c. fin. b. tit. n. 1. Gonzal. ibid. n. 4. Wagnereck ibid. in Exegef. Canif. hic n. 2. Zæf. n. 1. Valens. n. 2. Honor. n. 1. Pirhing n. 1. Schambog. n. 2. König n. 2. Reiffenstuel n. 4. & 5. Vincent. Petra tom. 3. comment. fol. 417. n. 26. Et quidem, quòd pars, quæ immunis à Lepora est, resillire, Lepora alteri superveniente, à Sponsalibus possit, patet ex



ex c. fin. cit. ubi Pontifex hoc casu negat alterum compelli posse ad Sponsam leprosum accipiendam, cum nondum inter eos Matrimonium fuerit consummatum, h. e. ut clarè ex textu patet, contractum per verba de præfenti. Ratio est, quia intervenit notabilis mutatio, quâ prævisâ, alter non fuisset contracturus Sponsalia. Quòd verò casu, quo pars à Lepra immunis nihilominus velit Matrimonium contrahere, pars altera teneatur Sponsalibus, inde constat; quia dissolutio Sponsalium non est introducta in favorem Leprosi, sed ejus, qui sanus est; quod autem ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus odium retorquendum; Reg. 61. in 6.

Si Lepra præcessit Sponsalia, distinguendum est, an fuerit ab altero contrahente ignorata, an verò iste sciverit, hoc morbo alterum Sponsum affici. Si primum, iterum resiliere pars à Lepra immunis potest; quia verisimile non est, quòd etiam Leprosæ Matrimonium promittere cogitaverit: & paria in Jure sunt esse & non apparere, l. duo sunt 30. ff. de testam. tutel. item aliquid supervenire, & præcedere, sed ignorari l. in lege 77. ff. de contrab. empt. prout in simili dictum est supra Tit. 1. n. 187. Si secundum, à Sponsalibus resiliere non poterit; sibi enim impuret, quòd cum ejusmodi infecto contraxerit. Zosf. hic n. 1. König n. 2.

Idem, quod dictum est de Lepra, dicendum est de quovis alio morbo contagioso, si hic Sponsorum uni post Sponsalia de futuro inita superveniat, vel ante illa contractus primùm innotescat, uti est morbus Gallicus, Paralysis, Epilepsia, vel alia infirmitas incurabilis ob rationis identitatem. Vivian. in c. fin. h. tit. pr. Barbos. ibid. n. 3. Schambog. hic n. 2. Reiffenstuel ibid. n. 9.

Proceditque hoc, etsi Sponsalia fuissent jurata, ut decisum est c. quemadmodum 25. princ. de Jurejur. & ratio clara est, quia ut Sponsalibus ita etiam Juramento his adjecto inest conditio, Nisi res notabiliter mutetur, ut arg. l. cum quis 38. pr. ff. de solution. notat Gloss. in c. cit. V. conditio, Ant. de Butrio n. 13. Canif. hic n. 2. Vincent. Petra l. cit. n. 26, hoc autem vel maxime fit, Leprâ, vel alio simili morbo superveniente Sponsalibus; ergo &c.

Quæritur 2. An per Lepram dirimatur Matrimonium? Certum est 1. per eam non dirimi Matrimonium contrahendum; quia Leprosi, si continere nolunt, & aliquam, que sibi nubere velit, invenerint, liberum est eis ad Matrimonium, convolare, ut dicitur c. quoniam 2. b. tit. & notat ibid. Gloss. V. liberum, Vivian. v. contrahere, Barbos. n. 1. Canif. n. 1. Ratio est, quia Edictum de Nuptijs est prohibitorium c. cum apud 23. de Sponsal. ac proinde de re omnibus generaliter permiffa, quibus illæ non sunt prohibita; atqui nuptiæ Leprosi non

sunt prohibita, cum de prohibitione nuptiam Juris aliquis textus extet, sed potius de licentia c. quoniam cit. ergo Lepra ipsos non impedit à Matrimonio contrahendo.

Certum est 2. per Lepram præcedentem, aut subsequenter non dissolvi Matrimonium jam contractum quoad vinculum, saltem, si id per carnalem copulam sit consummatum can. hi qui 25. caus. 32. q. 7. e. pervenit 1. v. quoniam b. tit. & c. quoniam cit. quia vinculum Matrimonij consummati est insolubile Jure Divino Matth. 19. v. 9. Idem dicendum de quocunque alio morbo, vel infirmitate, etiam gravissima, ob eandem rationem, Pirhing hic n. 4. not. 2.

Dubitari potest, an per Lepram, vel alium morbum contagiosum dissolvatur Matrimonium ratum? Rationem dubitandi faciunt duo textus. Primus est c. fin. h. tit. ubi Urbanus III. ad propositam sibi questionem, an casu, quo Sponsorum unus Lepra morbum incurrat, alter ad consummandam maritalem copulam compelli debeat, respondit, illum ad eam accipiendam cogi non debere, cum nondum inter eos Matrimonium fuerit consummatum. Alter, & difficilior est can. quod proposuisti 18. caus. 32. q. 7. ubi Gregorius III. vel potius II. de viro, cuius uxori infirmitate correpta non valuit debitum reddere, rescribens, Bonum esset, inquit, si sic permaneret, ut absentie vacaret; sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis, non tamen subsidij operam subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit: ex quo sequi videtur, Matrimonium ab hac in initium prius ratum, & validum (aliâ subsidij operam ei ferri non præcepisset Pontifex) ob infirmitatem conjugis dissolutum fuisse.

Verum his non obstantibus, dicendum, Leprâ, aut quavis alia infirmitate superveniente, Matrimonij rati vinculum ipso Jure non dissolvi. Ita Vivian. in c. 1. h. tit. pr. & in c. fin. prop. med. Gonzal. ibid. n. 4. Canif. hic n. 2. Vallens. n. 1. Zosf. n. 2. Honor. n. 1. Schambog n. 3. & 4. Reiffenstuel n. 3. cum unanimi ceterorum. Ratio est, quia vis dirimendi Matrimonium ratum soli Professioni Religiosæ indulta reperitur c. verum 2. & c. ex publico 7. de convers. conjugat. Extenditur etiam ad casum, quo Lepra Matrimonij contractum præcessit: ubi tamen circa licentiam Contractus est distinguendum; nam si Leprosus, dissimulato morbo, cum ignaro ejusdem morbi Matrimonium contrahit, graviter peccat; quia in re gravi conjugem decipit. Secus, si is, cum quo contrahit, morbum, & rei veritatem scivit, & tamen nubit; tunc enim contractus non tantum validus, sed etiam licitus est juxta c. quoniam 2. b. tit.

Addidi, ipso Jure; nam dispensatio 9 ne Apostolica dissolvi potest, ad quam pertendat, & concedendam hujusmodi morbus, Matrimonio rato superveniens, jubet

Kk 2

Itam



stam causam præbet, ut non immeritò existimant Sanch. l. 2. de Matr. D. 16. v. 5. Perez D. 40. de matr. sect. 7. n. 13. Wiestner hic n. 4. testaturque Borgasius de Irregul. p. 6. tit. de Sponsal. n. 74. Martinum V. ob Lepram dispensasse.

Neque aliud evincunt textus in contrarium allegati. Ad 1. ut n. 1. insinuatum est, ibi aperte sermo est de Sponsalibus de futuro: & hinc ut interrogationi responsio congruat, verbum *Consummandum* sumendum est late de consummatione, quæ fit non per copulam carnalem, sed per consensum de presenti præstitum, quo Matrimonium consummatur quoad essentiam, ut notat *ibid.* Host. in *su. Abb.* n. 3. Vivian. § ad istum. in *Ration.* Canif. n. 2. § non obstat. Pirhing *tuc* n. 4. Wiestner n. 4. Reiffensuel n. 2.

10 Ad 2. duplex est Responsio: *Primam* dat Barbof. in *can. quod proposuisti* cit. n. 2. *su.* eo textu per dispensationem Apostolicam solum vinculum Matrimonij rati ob infirmitatem mulieris, & permissum viro, ut alias contraheret nuptias. *Alteram* dant Tholosan in c. 1. de Sponsal. n. 27. Canus l. 6. *Loc. Theol.* c. 8. ad 8. Bellarm. l. 1. de matr. c. 11. *su.* Gonzal. in c. *su. b. tit.* n. 9. qui putant, eum textum intelligendum de muliere, correpta infirmitate arctationis, si- ve arctitudinis, ut à viro carnaliter cognosci non posset, ac propterea nec Matrimonium contrahere valide. *Neque refert*, quòd ei subtrahi prohibeantur subsidia vitæ; quia ut Gloss. in *can. quod proposuisti* cit. V. *opus*, Barbof. *ibid.* n. 2. Wiestner n. 4. cit. in *sine* notant, hæc subsidia præberi ei debebant vel per restitutionem dotis, vel de consilio solum rescribentis Papæ.

11 Quæritur 3. An propter Lepram, supervientem conjux sanus à Leproso divertere saltem quoad thorum, eique debitum conjugale negare valeat? *Ratio dubitandi ex una parte* est, quia, ut insinuatum est in principio præsentis Tituli, Leprosi propter periculum infectionis ab humano consortio passim arcentur, ita, ut eis peculiare Ecclesiæ assignentur c. *cum dicat* 2. de *Eccl. edif.* imò Monialibus Leprà percussis, quantumvis aliàs ad strictam Claustram obligatæ sint, à Pio V. Constitutione, quæ incipit *Decoris*, permittitur egressus à Claustris apud Donat. *tom. 4. prax. Regal. tr. 4. q. 1. n. 2.* atqui ex cohabitatione conjugum, & usu communis thori multo majus imminet periculum infectionis, quàm ex ullo alio humano commercio; igitur multo magis removeri à cohabitatione conjugis infecti conjux non infectus poterit.

12 Ex altera verò parte separationem istam ex causa lepræ fieri non posse, videtur decisum c. *pervenit* 1. b. tit. ubi Alexander III. mandat, ut uxores viros, & viri uxores, qui Lepre morbum incurrunt, sequantur, & eis conjugali affectione ministrant: quod re-

petitur c. *quoniam* 2. eod. ubi additur causa; *quoniam nemini licet (excepta ecusâ fornicationis) uxorem dimittere.* *Conf.* ex præcepto Christi *Matth. 5. v. 32. & 19. v. 9.* ubi etiam ipse causam fornicationis, seu adulterij solam excipit. igitur cum exceptio firmet Regulam in casibus non exceptis *can. Dominus* 6. *caus. 32. q. 7.* dicendum videtur, quòd ob Lepram, vel alium similem morbum divortium quoad thorum etiam fieri nequeat.

Difficultas hæc tolli ope distinctionis potest, quam etiam adhibent Syiv. V. *debitum* q. 1. Navar. *Man. c. 16. n. 25.* Sanch. l. 9. de *Matr. D. 24. n. 2.* § 17. Bonacin. de *Matr. q. 4. p. 1. n. 8.* Conink D. 34. n. 221. Petr. Barbof. *ff. solut. Matr. p. 2. n. 22.* August. Barbof. c. 2. cit. n. 2. Wagnereck. *ibid.* V. *precepto Apostoli* not. 2. Gonzal. in c. *su. eod. n. 8.* Paul. Zachias *qq. Medicor. Legal. l. 7. tit. 2. q. 5. n. 1.* Engl. *hic* pr. Zoel. n. 2. Pirhing n. 10. Schambog. n. 8. § 9. König n. 3. Wiestner n. 6. Reiffensuel n. 6. § 7. qui distinguunt inter Lepra malignitatem. Vel enim Lepra superveniens Medicorum judicio non est contagiosa, & propterea conjugi alteri nullum, aut leve infectionis periculum imminet; vel contra contagiosa est Medicorum judicio periculum infectionis cohabitatio, & conjugalis debiti redditio asserre judicatur.

Si primum, dicendum est, quòd conjux non infectus eo casu ad cohabitationem, ceteraque obsequia conjugalia, & ipsam etiam debiti redditionem adstringatur; si secundum, neque ad cohabitationem neque ad debiti redditionem tenebitur. Primum, probant textus c. *pervenit* 1. & c. *quoniam* 2. b. tit. qui, ut æquitas rigori Juris præferatur, in hoc, & non alio sensu intelligi possunt. *Alterum* evincit ratio; quia conjuges contractu Matrimonij ad cohabitationem, & redditionem debiti conjugalis non præsumuntur aliter se obligasse, quàm salvâ proprii individui incolumitate, quam alienis commodis, & solatijs ordo Charitatis præferre docet. Idem de alijs morbis contagiosis judicium esto. Barbof. in c. 2. cit. n. 3. Zoel. *hic* n. 2. Reiffensuel n. 9.

Ad *Conf. allaram* n. 2. quando Christus Dominus in textu *Matth. cit.* excipit solam fornicationem, intelligendus est de separatione perpetua, & divortio absolute; nam præter causam fornicationis etiam sunt aliæ, ex quibus divortium fieri potest ad tempus certum, vel incertum, & inter illas etiam est Lepra, ac quivis alius morbus contagiosus, ob quem divortium fieri potest, quamdiu is morbus durat.

Quæritur 4. An conjux non Leprosus Leproso conjugi cohabitare, & debitum illi reddere etiam cum periculo infectionis possit? *Videtur* non posse; quia ex communi doctrina, quam defendit Sanch.



l. 9. de matr. D. 24. n. 2. graviter illicitum est reddere debitum cum notabili salutis suae detrimento; est autem notabile detrimentum salutis propriae, quando ex redditione debiti Leproso conjugii imminet probabile periculum infectionis conjugii sano. *Conf. 1.* Quia homo vitae, & membrorum suorum dominium minimè habet; atque ita curam moderatam illius tuendae habere obligatur, ubi urgentior causa non cogit. *Conf. 2.* Nam culpae mortalis reus est utens cibis ejus quantitatis, vel qualitatis, ut notabiliter praevideantur nocituri sanitati.

17 Sed respondendum est affirmativè; imò ita reddere debitum, si ex amore Matrimonij id fiat, opus meritorium est. Ita Cajet. 2. 2. q. 154. art. 1. ad 4. §. ad 3. dicitur, Grassis p. 1. decis. l. 2. c. 83. n. 6. Sanch. l. cit. n. 23. Ratio est, quia in morbis diuturnis, & quasi habitualibus, nec ad mortem tendentibus, qualis est Lepra, periculo infectionis praeponderat conjugalis amor, & vitatio periculi incontinentiae in utroque conjugè, ferè semper contingens.

18 Ad Argumentum contrarium id intelligendum est de morbis communibus non ita diuturnis, atque ad mortem non tendentibus. Ad *Conf. 1.* Cura moderata tuendae salutis propriae non facit illicita jejunia, & alias corporis mortificationes moderatas; igitur neque redditionem debiti, factam ad averteendam incontinentiam vel suam, vel conjugis leprosi. Ad *Conf. 2.* Sumptio cibi in quantitate, vel qualitate sanitati noxia nullo ex capite honestari potest; potest autem honestari redditio debiti.

19 Quæritur 5. Utrum conjux sanus Leproso conjugii teneatur, vel possit debitum reddere, siquidem non imminet periculum infectionis reddenti, sit tamen probabile periculum, fore, ut soboles nascatur leprosa? Quidam negant cum Medina, & Palacios apud Sanch. l. 9. de matr. D. 24. n. 24. quia magis licet cuiquam proprijs, quam alienis detrimentis cedere; igitur cum juxta dicta n. 15. non teneatur conjux sanus reddere Leproso debitum cum periculo infectionis propriae, multo minùs tenebitur illud reddere cum periculo, ne inficiantur liberi.

20 Sed affirmativam defendunt S. Thom. in 4. dist. 32. q. un. art. 1. ad 2. S. Bonavent. ibid. art. 2. q. 1. n. 21. ad 2. Scot. q. un. ad fin. Corp. 7. respondet, Rosell. V. Leprosus n. 2. Sylv. V. debitum q. 1. 7. secunda est, Petr. de Ledesm. de matr. q. 64. art. 1. dub. 3. concl. 1. Sanch. l. cit. n. 25. & plures alij apud istum. Ratio est, quia proli tantum abest, ut irrogetur injuria, ut potius maximo afficiatur beneficio; consequitur enim vitam ex eo concubitu, ac melius illi est leprosam existere, quam omnino non esse.

21 Ex quo sequitur solutio ad Argumentum contrarium; quia conjugii sanus

simpliciter nocet reddere debitum cum notabili salutis detrimento; cum enim jam habeat esse naturale, non potest non male se habere, si contagione illa inficiatur: at proli non simpliciter nocet, sed melius est nasci, quam non nasci. Ut tamen infectionis periculum in Liberis, quantum fieri potest, praevideatur, addit Sanch. l. cit. n. 31. eos casu, quo conjuges seorsim habitant propter morbum alterius contagiosum, debere educari apud parentem sanum.

Quæritur 6. An ubi periculum infectionis cessat, excuset à debito reddendo horror naturaliter confurgens ex accessu ad conjugem Leprosam, vel alio morbo horrorem inferente infectum? Certum est excusare illum horrorem, qui tantus est, ut inhabilem faciat ad conjugii tali morbo affecto reddendum debitum; quia impossibile nulla est obligatio. *Reg. impossibile 185. ff. & Reg. nemo potest 6. in 6.* Quare si tali casu vir non reddens excommunicetur ab Ecclesia, sicut coram DEO est immunis à culpa, ita etiam ab Excommunicatione. Sanch. l. 9. D. 24. n. 21. & apud eum cit.

Dubium est de horrore, qui conjugem sanum debiti reddendi capacem relinquit: in quo dubio negat eum deobligari *Sot. in 4. dist. 32. q. un. art. 1. ad 2. 7. imò verò, & Lud. Lop. p. 1. Instruct. c. 83. 7. sed an, & p. 2. de matr. c. 56. pr.* qui solum excipiunt, quando, ut loquuntur, ingentissimus est horror, ut si Lepra esset leonina ita, ut membra computrescerent, & deciderent.

Sed mitius cum conjugibus agendum existimat Sanch. l. cit. cum constet, plebrosque ad nauseam ita propensos esse, ut ad instar mortis abhorreant ab accessu ad conjugem leprosum; ut adeo, stante tali horrore, obligari illos ad reddendum debitum difficillimum, & moraliter impossibile sit. Quare idem Doctor tandem concludit, & si nimius horror sit, judicat non obligari; secus, si horror tantus non foret; nam hoc casu urgebit præceptum Apostoli, quo 1. Corinth. 7. v. 3. jubet, ut uxori vir debitum reddat, & similiter uxor viro; quod cum generale sit, obligabit generaliter, ita, ut excusationem non admittat, nisi aut fornicationis ab altero admittæ, aut moralis impossibilitatis.

Quæritur 7. à quo facilius excusetur conjux sanus ob alterius Lepram, vel similem morbum, an à redditione debiti, an à cohabitatione, & alijs obsequijs conjugalibus? 7. facilius excusandum à redditione debiti, quam cohabitatione, & alijs obsequijs conjugalibus; quia, ut Paulus Zacchias qq. Medico Legal. l. 7. tit. 2. q. 5. n. 3. observat, ferè majus periculum infectionis à carnalis commercio, quam sola coha-



bitatione, & aliorum obsequiorum exhibitione oritur.

26 Porro, ut cum eodem Zacchia, notat Vincent, *Petra tom. 3. comment. fol. 17. n. 25.* ad judicandum, an leprâ infici possit conjux sanus, non solum gravitas morbi inspicienda est infirmo, sed principaliter attendi debet, cujusnam temperamenti conjux sanus existat; nam secundum varias ejusdem dispositiones aliquando facili negotio infici potest, & etiam ex parvo morbo contrahere magnum; aliquando contra ob robustam complexionem vel difficulter, vel modicè etiam ex magno morbo inficitur.

27 Quodsi verò etiam quoad cohabitationem separationem facere malignitas morbi jubeat, hæc aliter permittenda non est, nisi ministratis afflicto vitæ subsidij. P. Wieselner *hic n. 9.*

28 **Quæritur 8.** An ob explicatum periculum infectionis, vel horrorem à redditione debiti, & cohabitatione excusari conjux possit, quando Lepra Matrimoniale contractum præcessit, & hoc sanus non ignoravit? *n.* Hoc casu non excusari, ut rectè adverteant Sanch. *l. 9. de matr. D. 24. n. 22.* Barbof. *in c. 2. b. tit. n. 4.* Wagnereck

*ibid. v. præcepto Apostoli not. 3.* Engl *hic in fin. Pirhing n. 9. not. 2.* Schambog. *n. 8.* König. *n. 3.* Wieselner *n. 10.* Reiffentuel. *n. 3.* quia is sibi imputare periculum infectionis debet, cui se liberè exposuit, cum Leproso scienter contrahendo Matrimonium. Accedit, quia si Leprosus conjux scivisset, talem ob Lepram, aut aliam infirmitatem, quam ei fideliter detegit, vel non abscondit, sibi negaturum debitum conjugale, forsitan cum alio contraxisset, prout poterat *arg. c. quoniam 2. b. tit.*

*Neque obstat,* quòd nemo sit dominus membrorum, & vitæ suæ, & ideo nemo se obligare possit ad actualem amissionem membri, aut vitæ; nam præterquam, quòd, ut *n. 17.* insinuavi, Lepra non solet esse morbus fatalis, plures sunt casus, quibus non est prohibitum se, obligare ad periculum corporale, ut in militibus, navitis, aliisque similibus quotidianum est, Engl *hic fin.*

Denum adverteo, casu, quo conjux sanus ob horrorem Lepre Leprosum conjugem, à consortio hominum separatam, quoad cohabitationem sequi non vult, utrique à Judice Ecclesiastico injungendam continentiam per *cap. pervenit 1. b. tit. & ibi DD.*

## TITULUS IX.

*De Conjugio Servorum.*

### S U M M A R I U M.

1. Servi in Jure sunt triplicis maxime generis, videlicet Servi propriè dicti.
2. Adscriptitij.
3. Originarij.
4. Adscriptitij, & Originarij validè contrahunt Matrimonium cum quacunque alia persona.
5. Matrimonium inter personam liberam, & libertam valet.
6. 7. 8. Possunt Matrimonium validè contrahere etiam Servi propriè dicti.
9. An domino invito, vel ignorante?
10. Defenditur affirmativa.
11. Objectiones solvuntur.
12. Utrum Servus licitè contrahat Matrimonium, domino invito?
13. An hic conjugio Servi sui licitè resistat?
14. An postquam certior factus est, quòd servus ejus de Matrimonio tractet, possit istum aliò vendendum mittere?
15. Matrimonium servi initum cum persona libera, non ignara conditionis servilis, valet.
16. 17. Non valet, si istam ignoraverit.
18. Nisi sequatur ratihabitio.
19. Rationes dubitandi solvuntur.
20. An validum sit Matrimonium cum servo, vel ancilla, cui ad tempus concessa libertas est?
21. Quid dicendum de Matrimonio, contracto inter liberum, & ancillam statu liberam?
22. An valoti Matrimonij obstat error circa conditionem servilem, quò contrahens constituitur in statu digniore, vel saltem pari?
23. Respondetur non obesse.
24. Satisfit Argumento contrario.
25. Quo Jure error conditionis servilis dirimat Matrimonium? Sententia putantium, irritum esse Jure naturali.
26. Sententia id adscribentium Juri positivo humanao.
27. Defenditur sententia inter utramque priorem media.
28. Diluuntur Argumenta opposita.
29. An Matrimonium liberi cum ancilla valeat, si ignorantia conditionis servilis sit crassissima?
30. Deciditur non valere.
31. Objectiones solvuntur.
32. 33. 34. 35. Quando servus, vel ancilla consequatur libertatem ex Matrimonio, permissu domini invito?
36. 37. 38. An ijs eventibus, quibus ancilla, vel servus ipso Matrimonio libertatem consequitur, hoc cum libero, conditionem servilem ignorante, initum valeat?